UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arnoldi Corvini â Belderen, Batavi, Jcti quondam Consummatissimi, Consiliarii Electoralis & Professoris Moguntini Publici, &c. Tractatus Geminus De Personis Atque Beneficiis Ecclesiasticis Sive ...

opus posthumum, diu desideratum, nunc demum excusum, & indice locupletissimo instructum

De personis ecclesiasticis

Corvinus van Beldern, Arnold

Francofurti ad Moenum, 1708

VD18 10184902

De Canonicis Regularibus. Tit. 5

urn:nbn:de:hbz:466:1-62002

Visual Library

Tornacenſi Anno 1327. (idem credendum de Leodienſi & Ultrajectino) deſtinatis: quibus mandavit, ut in religionem, vitam, ac mores Beghinarum ſuæ diœceſeos inquirerent; & ſi tales forent, quales *d.c. vetta.* deſcribit, quæ Prælatis reverenter obediunt, &, per virtutum odoramenta currentes, honeſtè vivunt, non paterentur innocentes cum nocentibus ad paria judicari, ſed ab omni moleſtia eximerent: compeſcendo contrarios per cenſuras, etiam appellatione poſtpoſitâ.

Ea inquiſitione facta paſſim tutatæ fuere: & ab Eccleſiaſticis per- 6
ſonis & Sæcularibus Superioribus exinde pro perſonis Eccleſiaſticis habitæ, bona earum & loca communia pro Eccleſiaſticis, ſtatus pro Eccleſiaſtico. *Freder. Lumnius de Beguinis. Zypæus d. tit.* 13.

TITULUS V.

De Canonicis Regularibus.

SUMMARIA.

1. *Canonici Regulares qui & quomodo differunt à Sæcularibus.*
2. *Quotuplices.*
3. *In illos an habeat Juriſdictionem Epiſcopus.*
4. *Quid, ſi hic ſit religioſus.*
5. *Simul & Epiſcopus & Abbas.*
6. *An Canonicus noviter electus fidei debet edere profeſſionem.*
7. *Epiſcopus hiſce Canonicis, in regulam tangentibus conſtituit Vicarium de Corpore.*
8. *Epiſcopus Eccleſiæ Cathedralis Regularis juriſdictionem habet in Monachos ejus.*
9. *Punit eos abſolutè.*
10. *Clerici Sæculares in Regulari Eccleſia Regulare celebrant officium.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

11. Tales Canonici Cathedralis Eccleſiæ ſunt ejuſdem conditionis cum inferioris Eccleſiæ Canonicis.
12. Hinc non poſſunt eſſe patrini, &c.
13. Non capaces beneficiorum ſæcularium, &c.
14. Sunt Prælaturarum.
15. Quæ hodie.

DIximus de *Canonicis Secularibus*, dicendum nunc de *Regularibus*.

1 Hi, (& *Monachales* dicti,) ſunt, qui vitam monaſticam in clauſtris ducunt.

Nomen acceperunt, non, ut quidam putant, in electione propria, ſed ab Oecumenius Conciliis & Pontificibus. *can. nullus. 1. cum ſeq. 19 qu. 1. Rubr. de Statu Monach. & Canonicor. regul. c. quod timorem. c. ſingulis. verſ. hoc ipſum. eod. tit. c. ſanè de Regular.*

Canonici Regulares appellantur, quia duplici obligatione Canonicali vitæ ſunt adſtricti, id eſt, vivendi ſimul ex communi Eccleſiæ patrimonio, & non habendi patrimonia ſeparata: Cum Canonici Seculares ſimplici nomine Canonici appellentur, quaſi uno modo Regulares, dum ſcilicet vivunt ex communi Eccleſiæ patrimonio, & tamen valeant habere patrimonia ſæcularia ſeparata.

Rectè ergo dixit Gloſſ. *verb. in beneficiis. in Clem. diſpendioſam. de judic.* Canonicum Regularem eſſe propriè Canonicum; *ibi Cardin. qu. 5. num. 13. & Imol. num. 3.* & ſub nomine Canonicatus etiam venire Canonicatum Regularem, tradunt per dict. Gloſſ. Dd. *Navar. commento 1. de Regular. num. 4. verſ. addo. Flam. Pariſ. de reſignat. benefic. lib. 11 qu. 3. num. 38. Rota deciſ. 667. num. 1. part. 4. diverſ. Stephan. Gratian. diſcept. Forenſ. tom. 3. cap. 270. à num. 1.*

2 Sunt *Canonici Regulares* duplices; Alii enim in *Eccleſia Cathedrali* Regulari, ſeu alia non Cathedrali Regulari, obtinent ſuas portiones loco Canonicatuum & jus adminiſtrandi, quæ victui ſuo ſunt deſtinata, & bona habent ſaltem quoad uſumfructum, *Cavaler. deciſ. 60. num. 6.* & de iis inter vivos diſponere poſſunt ad opera pia. *Navar. com.*

13 *num.*

13. num. 6. num. 2. & 3. de ſtatu Monachor. Cavaler. d. deciſ. 606. num. 7. De quib. Hoſtienſ. in c. cauſſam, quæ. in princ. de judic. & Abbas ibid. ſub num. 8. verſ. & dic, quod in Sicilia, Alii ſub clauſtro & obedientia, ſicut alii verè Religioſi, vivunt abſque ullo jure adminiſtrandi. Qualium congregationes ſunt plures, in Orbe Chriſtiano; *aliquas refert Barboſa. tract. de Canonic. & Dignitat. cap. 26. cum mult. ſeqq.*

In iſtos *Canonicos Regulares* Epiſcopus, iis, quæ ſtatuta concernunt 3
Regularia, exceptis, omnimodam habet juriſdictionem Epiſcopus *c. 1. ne Sede vacante. Gloſſ. fin. in c. nullus. verſ. ut Epiſcopus etiam ſecularis. de elect. in 6. ubi Anchar. num. 3. verſ. ſed adverte. Joan. Andr. num. 3. verſ. in Gloſſ. ult. Gemin. num. 7. verſ. in eadem Gloſſ. Franch. num. 3. verſ. in Gloſſ. fin. Com. conſil. 193. num. 4. & 5. lib. 2. Gratian. d. cap. 270. num. 4.* etiam quod procedatur in judicii forma: *Bertachin. de Epiſcopo lib. 4. part. 2. num. 81. Rit. deciſ. 15. & 69. num. 6. part. 1. recent.* Præcipuè ſi Epiſcopus ſimul Abbas, & Abbatiali & Epiſcopali potentiis ſimul unitis, *ut loquitur Abb. in d. c. cauſſam quæ. num. 10.* procedat.

Intellige, ſi non ſit Religioſus; *Loter. de re benef. lib. 1. qu. 18.* 4
num. 147. Nam ſi talis, tunc juriſdictionem omnimodam in Regulares ſuæ Cathedralis Canonicos, etiam in iis, quæ Regularia concernunt inſtituta, exercere poterit: Nam in eo tum duplex repræſentatur perſona, videlicet proprii & veri Abbatis, in Regularia inſtituta concernentibus; *in d. c. nullus. Gemin. num. 7. verſ. in eadem Gloſſa.* & ſimul proprii Epiſcopi, in ea non concernentibus: *d. can. nullus.* & ſic poteſt dici Abbas & Epiſcopus; cum utramque habeat poteſtatem; ita ut poſſit actum expedire ſimpliciter, ac neceſsè habeat dicere, *hoc Facio ut Abbas, vel ut Epiſcopus. Steph. Gratian. d. cap. 270. num. 3.* quamvis actui Epiſcopali vel Abbatiali Dignitati attribuatur cautè.

Unde conferens Canonicatum aut Dignitatem in Eccleſia ſua Ca- 5
thedrali, non confert eam tanquam Abbas, ſed tanquam Epiſcopus; nec enim ullibi in jure eſt cautum jus conferendi in Eccleſiis Cathedralibus competere Abbati; & proterea licet Epiſcopus etiam ibi Abbatis ſit loco; tamen dum collationis actum non exercet tanquam Abbas, ſed tanquam Epiſcopus, eſt impoſſibile, ut eundem exerceat tanquam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in Obedientiarium ſuum. *Rota teſte Lotter. d. lib.* 1. *qu.* 33. *Barboſ.*
d. tract. & cap. num. 15.

6 Item *Canonicus Regularis*, in Eccleſia Regulari, de Canonicatu
vel Dignitate per Epiſcopum proviſus; per Superiorem Regularem
amoveri non poteſt: Debetque intra duos à die electionis, vel à quo
admittitur ad participationem menſæ Capitularis, menſes fidei emit-
tere profeſſionem. *juxta Concilii Trident. formam, ſeſſ.* 24. *de re-
format. cap.* 12. *verſ. proviſum. Garc. de benefic. part.* 3. *cap.* 3. *num.*
7 6. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi. part.* 3. *alleg.* 61. *num.* 6.

Debet tamen Epiſcopus, in his quæ ad regulam pertinent, Mo-
nachi alicujus, tamquam in iis melius verſati, vicaria uti poteſtate:
Joan. Andr. & Gemin. in d. can. nullus. & dum viſitat, unum ad minus
adhibere Regularem: *Extrav. debent Superioribus ſuis. de off. Ordin. in-
ter. commun.* nec tenetur explicare, an quod facit, faciat magis, ut Epiſco-
pus, quam uti Abbas. *Panorm. in d. c. cauſſam, quæ. num.* 10. *verſ.*
8 *& etiam puto. Rota deciſ.* 69. *num.* 6. *part.* 1. *recent.*

Ex quo etiam venit, quod Epiſcopi Eccleſiæ Cathedralis Re-
gularis juriſdictionem habeant in Monachos illius Eccleſiæ privativè,
non cumulativè; cum enim ſint eorum Abbatum loco, *ut dictum,*
cenſentur ſubrogati quoad omnia non excepta: *Abbas in c. cauſſam quæ.
num.* 10. *de judic.* & habent in eos juriſdictionem omnimodam. *Franch.
in c. nullus.* 29. *ad fin. num* 3. *de elect. in* 6. *Gratian. d. cap.* 270. *num.* 10.
9 *Guid. Papa deciſ.* 559. *incip. Ad quem pertineat.*

In puniendis verò hujusmodi Canonicorum delictis, conſilio vel
conſenſu Monachorum non indiget Epiſcopus; quia eorum reſpectu eſt
Abbas, & ut talis omnia explicat: *Panorm. d. c. cauſam, quæ. ill.* 1. *num.* 9.
fac. Gloſſ. in verb. vota. in c. nullam poteſtatem. 18. *qu.* 2. & punit, ut Epiſco-
pus, quando agitur in figura Judicii. *Rota, deciſ.* 78. *p.* 1. *diverſ. Gratian.
d. cap.* 270. *num.* 24. *cum ſeqq. Barboſ. d. tract. & cap.* 1. *num.* 17. *in fin.*

10 Clerici Seculares in Eccleſia Cathedrali Regulari pro divinorum
celebratione recepti, tenentur celebrare Regulare Officium: *Vitalin.
in Clem. un. ſub num.* 53. *verſ. eodem modo. de celebrat. Miſſar. d. Rota de-
ciſ.* 78. *& deciſ.* 79. *num.* 3. *Lotter. d. lib.* 1. *qu.* 18. *num.* 19. *Gratian. d.
cap.* 270. *num.* 37. *cum ſeq.* Nec hoc mutare poteſt ejus Eccleſiæ Epi-
ſcopus.

ſcopus.

ſcopus. *ſec. Gratian. d. loco & num. 41. Rota d. deciſ. 79. num. 5. & deciſ. 84. per tot. 1. p. recent. Turrecrem. in can. de iis. diſt. 12. verb. Abbatibus & Archidiaconis.*

Porrò ſunt *Cathedralium Eccleſiarum Canonici Regulares*, ejuſdem ordinis & conditionis cum reliquis inferiorum Eccleſiarum Canonicis Regularibus: cum quia eorum Eccleſiam vocat Monaſterium D. Auguſtinus, *in ſua regula;* tum quia eundem ferè habitum cum aliis Canonicis Regularibus geſtant, eandemque profeſſionem emittunt: Et paſſim in jure Canonico vocantur Regulares, Profeſſi, Monachati. *c. innotuit. c. Wintonienſis. de election. &c.* & etiam appellatione Monachorum; ſed non in pænalibus & exorbitantibus, *Navar. commento 3. de Regular. num. 40. Moſcon. de majeſt. inclit. Eccleſ. lib. 1. part. 4. cap. 1. de Regular. Campan. in diverſor. Jur. Canon. rub. 12. cap. 1. num. 3.* veniunt *per S. Thom. 2. 2. qu. 189. art. 8. ad 2. Panorm. in c. quod Dei timorem. num. 2. de ſtatu Monach. Auguſtin. Ticinen. in propugn. Canon. Ordin. cap. 5. Fr. Eman. quæſt. regul. tom. 1. qu. 1. art. 3. & tom. 2. qu. 49. art. 3. Hieron. Roderic. in Compend. qu. Regul. reſ. 21. num. 1. & reſolut. 123. num. 8. Barb. d. tract. & cap. num. 40.* 11

Hinc, perindè ut Monachi, ita & Canonici Regulares, prohibentur eſſe patrini: *Navar. conſil. 10. de Statu Monach. Fr. Emman. d. tom. qu. 31. art. 2. Hier. Roderic. d. reſol. 21. num. 2.* non poſſunt intra clauſuram admittere mulieres: *Fr. Emman. d. tom. qu. 48. art. 4. & tom. 43. qu. 68. art. 3. ad fin. Hier. Roderic. d. reſolut. 21. num. 3. poſt. Navar. commento. 4. de Regular. num. 65.* nec Spectaculis intereſſe. *Navarr. in can. non dicatis. 12. qu. 1. num. 12. Frat. Eman. d. qu. 31. art. 3. Hieron. Roderic. d. reſolut. 21. num. 4. & reſolut. 134. num. 4.* 12

Regulares Canonici incapaces ſunt obtinendarum penſionum ſuper beneficiis ſecularibus, ſive ſimplicibus ſive curatis, abſque Pontificis diſpenſatione: nec etiam in diſpenſatione, Epiſcoporum propriorum; ſimplicium beneficiorum ſecularium ſunt capaces. *Lauret. de Franchis. de controv. inter Epiſcop. & Regul. in. quæſt. var. qu. 86.* 13

Sunt tamen, capaces Epiſcopatuum aliarumque Prælaturarum ſecularium. *d. c. quod Dei timorem. de ſtatu Monach. ubi Abb. num. 5. & c. nullus religoſus. de elect.* Nec non Curatorum beneficiorum ſæcularium: 14

Sylveſt. in ſum. verb. Religio. 7. qu. 3. Sylv. de benef. part. 3. qu. 70. Rambert. de jure patron. lib. 2. port. 1. qu. 7. art. 19. Gabr. Pennoto lib. 2. Hiſtor. tripart. Canon. Regul. cap. 72. fac. Concil. Trident. ſeſſ. 14. de reform. cap. 11. S. Congreg. de Anno 1602.

15 Ceſſare tamen hoc hodie propter concordata Concilii Lateranenſis ſub Leone X. volunt Sanch. *in præcepta Decalogi, tom. 2. lib. 7. cap. 19. num. 71.* Garc. *de benef. part. 7. cap.* 10. Adhibendam eſſe Papæ diſpenſationem volunt. Quarant. *in ſum. Bullar. verb. Canonicus Regularis* Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 7. num.* 53. Novar. *in Sum. Bullar. tit. de Canon. Regular. num. 2.* Quod & vult S. Congr. Cardin. Negot. *Epiſc. & Regular. præpoſitor. in una Cremon. 1. Septemb.* 1603. hiſce verbis; *Canonici Regulares non obſtante cap. quod Dei timorem. non admittuntur ad curam Parochialium Eccleſiarum, abſq; Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione.*

TITULUS VI.

De intrantibus Religionem, ſeu Monachis.

SUMMARIA.

1. *Præter Regulares alii Religioſi, dicti & Monachi.*
2. *Unde hi.*
3. *Quibus Religioſis nomen hoc conveniat.*
4. *An Mendicantibus.*
5. *Religioſorum ſtatus in Teſtamento veteri adumbratus.*
6. *An in Novo conſultus.*
7. *Conſilium ſecuti Apoſtoli, Diſcipuli Chriſti, Primi Chriſtiani multi.*
8. *Refrigeſcente verò fervore ſolitudo iis fuit refugium.*
9. *Ab initio.*
10. *Poſtea conventus inſtituti: A quibus.*